

dictis sororibus, plenarie satisfactum. In cuius rei testimonium sigilla nobilium virorum, dominorum, Thuriri ketilsson & Nicholai ffratris suj qui cum pluribus fidedignis tunc presentes aderant, vna cum sigillo nostro presentibus sunt appensa. Datum Stokholm. Anno domini. M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>.XC<sup>o</sup>.V. Quinto Jdus Junij.

Sigillen i grönt vax N:o 1, 2, 3 mer och mindre skadade, å röda och gröna silkestrådar.

1132.

1295 d. 17 Juni.

Nyköping.

Konung BIRGERS stadfästelse på förenämnde afhandling om Snyterstads gård.

A. 3. f. 1. 8.

Omnibus presentes litteras inspecturis BYRGERUS dei gracia sweorum Gothorumque Rex, salutem & omne bonum. Tenore presencium notum esse volumus vniuersis, quod felicis recordacionis Dominus & pater noster Magnus quondam Rex swecie Curiam quandam que vocatur snyterstad impignorauit domino Henrico dicto glysing pro centum & quatuordecim Marchis puri & examinati argenti in pondere coloniensi, ipsam que Curiam sic impignoratam postmodum pro dote contulit monasterio sancte Clare in stokholm, super qua donacione, litteras predicti domini & patris nostri vidimus, sigilli sui munimine roboras. Sed quia labente temporis curriculo, prefatus dominus & pater noster, antequam dictam Curiam redimeret, vocante domino, morte preuentus est, sorores nominati monasterij ipsam curiam, a prefato domino henrico glysing, ad usum & ius ipsius monasterij, pro tanta summa argenti, videlicet, centum et quatuordecim marchis puri & examinati argenti in coloniensi pondere, redemerunt, Nos igitur supramemorati & sepe memorandi domini & patris nostri, pia vota & sancta desideria mentis acumine contuentes, in ipsis que succrescere cupientes, hanc suam donationem ratam & gratam habentes, confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. In cuius rei testimonium, sigilla, nostrum videlicet & dilecti Marsalchi nostri domini Thyrgilli knutson, presentibus sunt appensa. Datum Nykopie. Anno domini. Millesimo. ducentesimo. Nonagesimo quinto. In die beati Botulphi abbatis.

Stycken af sigillen 1, 2. i grönt vax, hänga på röda och gröna silkessnodder.

1133.

1295 d. 28 Juni.

Marskaiken THORKEL KNUTSSONS befallning till dem, inom hvilkas område Wreta klostrets gods funnos, att icke af dessa gods fordra spannemåls gengärd eller andra Kongl. utskylder.

A. 3. t. 7.

TH. KNUTSON illustris Regis swecie marscalcus omnibus sub quorum iuridicione bona domine abatisse de Wretum sita sunt salutem in domino.